Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sonum. filii dei sacramentis attestante. emiserunt
Omnis populus una regi salemoni imperatur: quia
omnis cetus fidelium. filio dei resurrectione
et ascensione sua triumphanti congratulatur. Uni
versa multitudo post eum ascendit: quia turba
martyrum passionis eius vestigia sequi conten
dit. Populus canentium tibiis post eum ascendit:
quia frequentia continentium crucem suam tollendo.
post eum ad celestia tendit. Populus letantium gaudio
magno post eum ascendit: quia innumera mul
titudo fidelium per spem et penitentie remedium.
ad salutem pungentium post eum ad regni heredi
tatem pervenit. Ad clamorem eorum terra insonat: quia
palmas martyrum. laudes continentium. gratiarum
actiones digne penitentium. universa per orbem
terrarum ecclesia concelebrat. SEQUITUR.
Audivit autem adonias. et omnes qui invi
tati erant ab eo: iamque convivium finitum
erat. Sed et ioab audita voce tube ait. Quid sibi
vult clamor civitatis tumultuantis. Adhuc
illo loquente. ionathas filius abiathar sacerdo
tis venit. Cui dixit adonias. Ingredere. quia
vir fortis es. et bona nuntias. Respondit que io
nathas adonie. Nequaquam. Dominus enim rex noster
david. regem constituit salemonem: misitque
cum eo sadoch sacerdotem. et nathan pro
phetam. et banaiam filium ioiade. et cerethi et fe
lethi: et imposuerunt eum super mulam regis: unx
eruntque eum sadoch sacerdos. et nathan pro
pheta regem in gyon: et ascenderunt inde le
tantes. et insonuit civitas. Hec est vox quam
audistis; sed et salemon sedet super solium reg
ni: et ingressi servi regis. benedixerunt domino nostro
regi david. dicentes. Amplificet deus nomen
salemonis super nomen tuum: et magnificet
thronum eius super thronum tuum. Et adoravit
rex in lecto suo: insuper et locutus est. Benedic
tus dominus deus israel: qui dedit hodie sedentem in
solio meo: videntibus oculis meis. Territi sunt ergo.
et surrexerunt omnes qui invitati fuerant ab ado
nia: et abiit unusquisque in viam suam.
Adonias audit: cum populus iudaicus.
per orbem terrarum clamorem deum laudan
tium obstupescit. Omnesque invitati fuerant
ab eo audiunt: cum omnes emulatores
legis. circumcisionis et cerimoniarum legalium instituta
conculcata ingemiscunt. Iam convivium fini
tum erat: quia preclara illa legis fercula. dul
cia psalmorum et prophetarum poc[...]ula.
synagoga iam ignorat. Lex enim et prophete
usque ad Iohannem baptistam prophetaverunt.
Ioab audita voce tube obstupescit: quia
saulus ille synagoge signifer: legis et
prophetarum magister: evangelice predicationis
clangorem ingemiscit. Quid inquit sibi vult
clamor civitatis tumultuantis. Quasi
dicat saulus: evangelii novitate perculsus.
Che fidelis preceptor meus gamaliel. cum me
ad pedes tuos positum. omni scientia legis
et prophetarum imbuisti. si tu clamorem istum civi
tatis tumultuantis scire potuisti: quare
non mihi eum notum fecisti. O si illum legis
latorem eximium. unicum vite spei que mee so
lacium. cui sic amico amicus. familiariter
locutus est ipse deus. videre mihi contingeret:
[illegible] ut per eum [illegible] clamo
ris huius noticia mihi perveniret.
Ille enim quondam descendens de monte. dicen
ti sibi iosue. tumultus pugne audi[...]r in cas
tris. respondit in spiritu sancto: Non clamor [...] adhor
tantium ad pu[...]nam. sed vocem cantantium ego
audio. At nunc diverso et contrario
agitur modo: quia clamorem christicolarum.
immo nazarenorum. simul et cantantium. et
ad pugnam se invicem cohortantium. ego au
dio. Proh dolor: nazareni isti circumcisionis
et sabbati ritum conculcant: quia baptismum.
et nescio que die dominicum ipsi per orbem
terrarum celebrant. Pro cymbalis olim bene
sonantibus. campane tribiles insonant: